



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nicolai Mazzotta theologia moralis

omnem rem moralem absolutissime complectens

Mazzotta, Nicolò

Augustae Vindelicorum & Cracoviae, 1756

§. I. De Casibus reservatis in Diœcesi Neapolitana, quibus adnexa est
Excommunicatio ipso facto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41004

cap. 60. *Magistratus, & Officiales non obedientes Cardinalibus Congregationis S.S. Inquisitionis: Pius V. Sanctissimus* 1. 61. *Officiales intromittentes se in causis interdictis à Pio IV. Univerſi* 54. & *Superne* 83. &c.

C A P U T II.

De casibus reservatis Episcopis.

CASUS Episcopales, alii sunt à jure, vel consuetudine, ex dictis q. præc. c. 3. §. 2. alii, quos ipsi Episcopi sibi reservant, & exponere solent in suis agendis, seu tabellis, quæ proinde aliæ alibi sunt, & propriæ cujuscunque Diœcesis, manetque earum reservatio etiam mortuo Episcopo, nisi Successor revocaverit, quia sunt per modum statuti perpetui, ut notat Chapeavil. pag. 1. c. 5. Si autem Episcopus alium sibi casum reservat per modum mandati, cessat talis reservatio mortuo Episcopo, ut habet Pasqual. decis. 495. Porro casus in nostra tabella Neapolitana nunc sunt 23. quorum 16. habent adnexam excommun. ipso facto; 7. sunt absque excommun, sed postremo adnexum est interdictum ipso facto. De singulis hic agam, adjectis cuilibet casui aliquibus notis, ex quibus facile etiam cuique fiet alios aliarum Diœcesum casus expendere.

§. I.

De Casibus reservatis in Diœcesi Neapolitana, quibus adnexa est Excommunicatio ipso facto.

I. *Omnes utriusque sexus, & cujusvis status, aut dignitatis personæ, quæ Hæreticorum cujuscunque sectæ cœtus adeunt, in quibus conciones, & catechismi, aut quicumque eorum ritus, præsertim à S. Catholica Romana Ecclesia damnati exercentur, quoties hujusmodi exercitiis, quovis prætextu, & occasione, etiam simplicis curiositatis assistunt.*

Nota primo: *Cœtus.* Ad cœtum constituendum non sufficit una, aut altera persona, sed tres ad minimum requiruntur, quia in jure cœtus collegium significat,

ut interpretatur Glossa in Clement. *Ne Romani, de electi.* Ad collegium autem tres saltem personæ requiruntur, *l. Neratius, ff. de ver. signif.* Secundo *Adeunt &c.* Qui è domo sua hæreticorum conciones audit, vel eorum ritus adspicit, juxta quorundam opinionem non incurrit hanc reservationem, ad quam requiri videtur tum accessus, tum assistentia: Ita in casu simili docent Dian. Pelliz. & alii. Sed Pasqual. Quart. alique probabilius oppositum docent, quia assistentia principaliter prohibetur. Quod, si quis adeat cœtum hæreticorum; sed eorum ritibus non assistat, distinguendum est; vel enim adit non animo assistendi, sed solum comitandi herum, & non peccat remoto scandalo, & contemptu, ac proinde hanc reservationem non incurrit; vel adit animo assistendi, licet postea mutata voluntate non assistat, & peccat mortaliter, incurritque excommunicationem Synodalem, quia Synodus disjunctive prohibet sub excommunicatione reservata, tam accessum, quam assistentiam, sed non incurrit reservationem, quia Confessarii omnes absolvere possunt ab omnibus casibus, & censuris à Synodo reservatis, præter eos, qui in tabella proponuntur: in tabella autem fertur excommunicatio reservata contra eos, qui adeunt cœtus hæreticorum, quoties illorum ritibus assistunt. Ubi advertite, quod non censetur assistere, qui assistit mere materialiter, quia nimirum ob ignorantiam idiomatis nihil percipit: ita sentire videntur Merol. Pelliz. Sanch. alique docentes; non incurri excommunicationem à legente librum ob hæresim prohibitum conscriptum ideomate sibi ignoto. Tertio *Præsertim.* Particula hæc, utpote implicativa, denotat, incurri hanc excommunicationem, licet ritus non sint expresse ab Ecclesia damnati, dummodo sint ritus hæretici; nam, si sint communes cum Catholicis, illis adesse non est prohibitum præciso scandalo, &c.

II. *Omnes personæ utriusque sexus, quæ vel per se, vel per alium, S.S. Altaris Sacramento, Chrismate, Oleo Sancto, sive quacunque alia re consecrata, ad Veneficia, Divinationes, Sortilegia, aut ad alium usum, quam fuerint ordinata, vel instituta, quomodolibet abutantur: omnesque utriusque sexus, qui de prædictis ad prædictos fines aliquid sumpserint, vel alicui dederint, aut datum acceperint, etiam abusu minime subsecuto.*

Nota

Nota primo : *Sive quacunq̄ue alia re consecrata.* Nominē rei in p̄enalibus non venit locus , aut persona : *arg. l. Inspiciendum , ff. de Furtis ;* qui ergo abutitur Ecclesia , vel Sacerdote , non incurrit hunc casum , Jan. r. 19. nec nomine rei consecratæ venit res quomodocunq̄ue sacra , aut benedicta ; ut sunt Biblia , Missales , Imagines , & Reliquiæ SS. Incensum , Candelæ , Rami , Cineres , Aqua Lustralis , &c. Veniunt autem , non solum res Sacro Chrismate inunctæ , ut sunt Lapis Altaris , Calix , Patena , Agnus Dei , Aqua Baptismalis , Campanæ , &c. verum etiam contra Januar. r. 18. veniunt res omnes , quæ SS. Eucharistiam immediate contingunt , ut sunt Pixides , Ciboria , Sphærolæ , seu Lunulæ , Corporalia , Purificatoria , Pallæ , &c. utpote quæ ex contactu Eucharistiæ communiter dicuntur consecratæ , ut not. Tamb. l. i. *Method. Celebr. Miss.* c. 2. Non autem veniunt ea , quæ nec Eucharistiam immediate tangunt , nec Chrismate inunguntur ; ut sunt Mappæ Altaris , Vestes Sacerdotales , &c. Secundo , *Aut ad alium usum , quam fuerint ordinata :* Puta , si abutaris re consecrata ad usus sordidos , aut profanos , aut alios graviter peccaminosos contra ejus institutionem . Si autem abutaris Chrismate loco Olei Sancti ad Extremam Unctionem , peccas quidem , sed non incurris hunc casum ; quia probabile apud Doctores est , id fieri valide , adeoque juxta institutionem . Idem ait Januar. si utaris Eucharistia ad tui defensionem , devotionem , &c. quia non est contra ejus institutionem . Idem , si abutaris fragmento Lapidis , aut Calicis jam fracti , aut frustulo Corporalis jam dilacerati , &c. quia amiserunt jam consecrationem , quamvis ex prava intentione abutaris his frustulis tanquam consecratis : Jan. r. 17. Incurris vero , si aliquid frangas ad abusum . Tertio , *Qui de præditis , &c.* Si des ad abutendum , & accipiens id non intendat , tu solus incurris ; & similiter vice versa . Si ex eodem fine des licentiam , ut alius accipiat , vere diceris dare ; secus vero , si des tantum consilium , auxilium , aut mandatum . Si quis furetur ad abutendum , non incurrit , nisi abutatur ; quia revera non *Datum accipit.* At ad verificandum , quod quis abutatur , satis est , si per *Alium* etiam abutatur , scilicet mandato : non vero tantum consilio : *Dicast. d. i. de Censur.* num. 229.

III. *Omnes utriusque sexus Personæ, quæ dæmonibus spondent obsequium, thus, & sacrificia offerunt, quamvis absque errore intellectus. Insuper quicumque, sive suo, sive alterius nomine, condunt, aut condere faciunt imagines, annulos, aut quodvis aliud artefactum, in quo dæmonem constringant.*

Nota primo: *Qui dæmoni spondent, &c.* etiamsi obsequium non sit secutum, sed sola promissio externa facta sit de obsequio præstando; licet putes, hoc ei non deberi; quia actus ille externus adhuc conjungitur cum mortali interno, à quo procedit. Si autem actu tantum interno spondeas, non incurris, quia actus mere interni nec reservantur, nec subjacent censuris. Secundo *Insuper, &c.* Si fimules, te condere tales imagines, annulos, &c. & ita des alteri, peccas quidem graviter, sed non incurris hunc casum; quia vere non condis. Neque incurris, si mandes condi, & non condantur.

IV. *Venefici, & Veneficæ omnes, Necromantes, Divinatores, Sortilegi, Lamicæ, Striges, sive quovis alio nomine nuncupentur, ex utroque sexu, qui cum expressa dæmonis invocatione ad captandam dilectionem, vel odium concitandum, sive ad inveniendos thesauros, aut ad alium finem quemcumque utuntur incantationibus, aliisque maleficiis, sive etiam ligaturis, ut à naturali, & legitimo matrimonii usu conjuges avertant; aut scienter in præfatis cooperantes, aut quovis modo consentientes. Declaramus autem ex prædictis criminibus, in supradictis II. III. & IV. Casibus contentis, excommunicationem Nobis reservatam ipso facto incurrere non solum eos, qui sæpe, & ex arte hujusmodi criminibus operam dant, sed etiam eos, qui quomodocumque, etiam semel, ea perpetraverint.*

Nota primo: *Cum expressa, &c.* Dicitur expressa dæmonis invocatio, sive fiat verbis expressis, sive ipso met facto, cum scilicet sciens dæmonem alligatum alicui signo, hoc uteris spe finis per eum consequendi: econtra dicitur tacita tantum invocatio, cum mediis de se ineptis (puta sortibus, cabalis, somniis, avium volatu, extis animalium, &c. utaris ad divinandum, aliudve obtinendum, etsi in his nec implores opem dæmonis, nec aliquid ab eo speres, nec de illo cogites; tacite enim se immiscet tuæ vanæ credulitati, & fiduciæ in tale medium ineptum: Sanch. l. 2. Decal. c. 38. n. 3. Priori tantum modo incurritur hic casus, posito usu in-

can-

cantationis ad quemcunque finem, etiam sine intento non secuto. Secundo: *Ac scienter, &c.* Incurrunt cooperantes, sive mandato, sive consilio, auxilio, favore, pecunia, &c. item quovis modo consentientes, nisi excuset ignorantia etiam crassa, & supina. Item, qui utitur v. g. annulo, cui alligatus est dæmon, licet à se non condito, quia utitur jam incantationibus: at, si illum ab alio accepit, emit, aut etiam retinet, si tamen neque utitur, neque promittit dæmoni, se eo usurum, non incurrit præsentem casum; imo neque antecedentem, quia neque condit, aut condere facit, neque spondet dæmoni obsequium: at incurreret, si tantum promitteret, se usurum, quia talis usus est species quædam obsequii: Quarti.

V. *Loquentes sine Nostra, vel Vicarii nostri Monialium licentia cum Monialibus, in Monasteriis etiam exemptis, vel cum aliqua, aut aliquibus earum, etiamsi sit Conversa, aut Novitia, sive educationis, sive alterius rei causa ibidem commoretur: conjunctis in primo, vel secundo consanguinitatis gradu dumtaxat exceptis. Declarantes, quod, qui facultatem obtinuerit loquendi cum aliqua prædictarum, non possit data opera, & ex professo cum aliis loqui.*

Insuper ii præsertim, qui cum aliqua ex prædictis, aut eorum ipsis, tam in Monasteriis, quam in Conservatoriis, seu Collegiis commorantibus, de rebus obscænis, per verba, aut actus impudicos, præsentibus egerint, absentes vero per literas, aut internuncios. Necnon viri, aut mulieres, sive intra, sive extra, Monasterii, vel Conservatorii, aut Collegii claustra, ac septa, qui prædictas literas, vel mandata detulerint.

Nota primo: *Loquentes*: Qui loquitur cum Moniali nihil respondente, incurrit hanc excommunicationem; similiter incurrit, qui è domo sua loquitur cum Moniali: incurrit etiam, quamvis locutio cæteroqui licita foret; quia hæc sub gravi prohiberi potest ob finem gravem, nimirum, ne moniales à studio orationis, divinoque servitio avertantur. Qui loquitur per nutus, aut signa (modo non sint obscæna) Pelliz. Dian. Tambur. & alii probabiliter negant, incurrere. quia proprie non loquitur; sed probabilius affirmant Graf. Januar. Bauc. Quart. & alii, quia perinde est signis, ac verbis suos conceptus alteri manifestare. Idem dicit Graf. si loquatur

per interpretem, internuncium, aut literas; sed hoc melius negant Dian. Januar. Quart. & alii, quia sic non loquitur immediate cum moniali; & à fortiori, si loquantur idiomate ei ignoto. Excusat ab hoc casu primo Necessitas, sicut eadem excusat à locutione cum excommunicato vitando, juxta Reg. illam: *Non veniunt sub prohibitione, quæ quis non esset verosimiliter prohibiturus, si in specie exprimerentur*: Hinc Dian. Lezan. Januar. Peyr. Bord. & alii apud Pelliz. c. 10. n. 277. inferunt, neque Religiosum subjacere ullis pœnis, si loquatur de rebus pertinentibus ad Pietatem, Conscientiam, &c. quia S. Congr. non videtur comprehendere casum Pietatis, & Charitatis, sed casus Urbanitatis, Negotii Secularis, &c. quare etiam posset ex causa pia eo mitti ab Ordinario, ut infert Pelliz. monet tamen Dian. p. 5. tr. 12. r. 96. hæc in praxim non facile deducenda, cum jura contra Religiosos loquantur indefinite. Excusat secundo Parvitas materiæ: puta si locutio fiat per unum Miserere, & aliquid amplius, juxta Dian.; vel etiam per unum quadrantem, ut addunt Verricel. Quart. & alii, quamvis hoc non judicat consulendum Tambur. *de Cas. Reserv.* cap. 6. num. 14. At quoad Religiosos Sac. Cong. cit. prohibuit quodvis modicum tempus. Cæterum monet Januar. tales locutiunculas non debere esse frequentes, nec sine necessitate; quia secus etiam adversarentur fini legis, qui est, ut monialis expeditius Deo vacet, ex cap. un. *de Stat. Reg. in 6.* & ideo personis etiam honestis locutio est prohibita, ut ait Gloss. Secundo: *Sine nostra, &c.* Femine ex consuetudine non videntur indigere licentia: Januar. r. 14. n. 15. & ita declaratum in Syn. Neapol. testatur Bauc. Similiter neque indigent Episcopi, tum quia præsumuntur habere licentiam, tum quia lex non ligat æqualem, ex cap. *Cum Inferior de Major. & Obed.* Neque Pauperes, & publice quæstuantes, quia pariter est tacita licentia ex usu, & praxi: Pelliz. *de Monialib.* cap. 5. Neque famuli deferentes dona, brevique se expedites: Pelliz. ib. Neque qui 14. annum nondum expleverint, ut expresse habetur in fine Tabellæ. Neque demum, qui gravi metu compulsi sunt ad loquendum, quia Lex Ecclesiastica non obligat cum tanto onere: Doctores communiter. Religiosi peccant quidem contra jus commune, si absque debita licentia Ordinarii loci (à quo illis concedi potest per quatuor vices ad summum quolibet anno, modo

modo sint conjuncti in primo, & secundo gradu consanguinitatis tantum, ex Decret. Sacr. Congregat. jussu Urban. VIII. ann. 1623.) loquantur, vel tractent cum monialibus, sive sui, sive alterius ordinis, aut (occasione Concionis, vel Missæ) cum qualibet alia persona intra Clausuram degente; & incurrunt ipso facto privationem officiorum, vocisque activæ, & passivæ, ex Decret. Sacr. Congr. jussu Sixt. V. an. 1590. Putant tamen Pal. Vivald. & alii, eos peccare tantum venialiter secluso scandalo, periculo, &c. quia lex fundata in præsumptione non habet locum in foro conscientiæ, quando veritas est in contrarium, ex cap. *Tua nos*, 26. de *Sponsal.* Sed oppositum est commune; quia hæc lex non fundatur in præsumptione, sed in periculo, quod semper adest: hinc Sacr. Congregat. ann. 1626. declaravit, esse mortale; & cum aliqui Religiosi putarent, non esse mortale loqui per unum quadrantem cum dimidio, eadem Congregat. ann. 1669. declaravit, eos peccare mortaliter loquendo etiam per quodcunque modicum spatium temporis; eosdemque accedentes ad Monasteria, quamvis exempta, posse ab Ordinario, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, coerceri pœna excommunicationis: quam declarationem Clem. IX. approbavit, & typis dari, ac observari jussit: v. Pignat. t. 6. consult. 85. n. 53. Hinc recte in Synod. Neapol. Pignat. pag. 189. §. 14. dicitur, incurri hanc excommun. à Regularibus, præsertim ex declarat. S. Congr. approbata à Clem. IX. apud Synod. Cantelm. pag. 267. Peregrini (qui scilicet in hac Diœcesi non habent domicilium, nec quasi domicilium, sed alibi) peccant etiam contra jus commune, si sine licentia loquantur cum Monialibus, ex cap. *Periculoso*, de *Statut. Regul. in 6.*; & si frequentent, excommunicari possunt ab hoc Ordinario, si sint Laici; suspendi ab Officio, si sint Clerici, ex cap. *Monasteria de vit. & honest. Cl.* An autem incurrant hunc casum, & excommunicationem, dubitant Doctores: Affirmant Merolla, & alii putantes, Peregrinos teneri legibus loci, ubi per transitum morantur. quam sententiam Januar. r. 34. approbat solum, si peregrini accedant ad Monasteria exempta, cum relate ad hæc Episcopus procedat, ut Sedis Apostolicæ Delegatus: sed negant absolute Dian. p. 5. t. 2. r. 48. Pelliz. & alii: quia nec peregrini tenentur legibus loci, ubi per transitum reperiuntur, ex Sanch. & aliis, nec De-

legatio

legatio Sedis Apostolicæ à Trid. facta est Episcopo, nisi in ordine ad restrictionem, & conservationem Clausuræ, ad quam non pertinet simplex locutio. Illud est certum, posse ab Episcopo, si frequentent, excommunicari; & si semel accedant, posse carcerari, & puniri. Tertio, *Cum Monialibus*. Nomine Monialium in odiosis non venit Abbatisa, aut Priorissa: Pell. c. 5. n. 208. etsi præsens casus comprehendat Novitias Conversas, & quasunque in Monasteriis commorantes, nec venit Monialis existens extra Monasterium: Doctores communiter. Quarto. *In Monasteriis etiam exemptis*. Nomine Monasterii non veniunt Conservatoria; extenditur autem casus Episcopalis etiam ad Monasteria exempta, vel quia Episcopus procedit, ut Delegatus Sedis Apostolicæ, ut vult Hugol. vel quia procedit contra loquentes, ut Bonac. vel melius, quia ea non sunt exempta ratione loci, sed ratione monialium exemptarum, ut docet Suar. ideoque etiam ibi incurritur casus à loquentibus: uti incurritur quilibet alius casus Episcopalis à committentibus illum intra Claustra Regularium hujus Diocesis. Quinto: *Declarantes, &c.* Qui habent facultatem, sive specialem, sive communem, ut consanguinei in primo, & secundo gradu, incurrunt hunc casum, si data opera, & ex professo loquantur cum aliis ibi commorantibus: secus vero, si id fiat per accidens, urbanitatis causa, & verbis compendiosis, ita ut excuset parvitas materiæ; vel si illæ sint auscultatrices, quæ ex munere debent interesse: Pelliz. n. 219. sicuti etiam Socius Religiosi loquentis ex licentia cum Moniali potest cum ea pariter loqui ob regulam connexorum: Peyr. Rodr. Ricc. Pelliz. cap. 10. n. 20. contra Delben. Sexto, *Insuper ii, &c.* Incurrunt hunc casum etiam feminæ, quia nequit in hoc esse consuetudo in contrarium: Tamb. *de Cas. Res.* cap. 6. n. 6. & n. 30. Non tamen incurrunt ipsæ Moniales, aliæve degentes intra Monasterium, si obscène loquantur cum existentibus extra; quia neque hic, neque antecedens casus loquitur de commorantibus intra relate ad existentes extra. At, si una earum turpiter agat, vel loquatur cum alia intra idem Monasterium, Tamb. n. 29. ait, incurrere, quia *ly ii* denotat omnes loquentes obscène cum aliqua in Monasterio existente; sed probabile est, tantum referri ad omnes existentes extra; ideoque non incurrere, nisi forte turpiter agat, vel loquatur cum alia in alio Monasterio existente.

Incur.

Incurrunt hunc casum etiam confanguinei in primo, vel secundo gradu, & qui habent licentiam loquendi, & qui loquuntur cum Abbatissa, si agant de obscœnis; quia licentia non potest ad hoc extendi: Doctores communiter: idemque est, si coram illa fiant à te verba, actus, aut signa quæcunque obscœna cum quovis alio: vel si loquaris de aliorum actibus, aut moribus obscœnis: Tamb. num. 21. Idemque est, si ad eam mittas literas, aut nuncium de obscœnis, sive tecum, sive cum aliis, sive ut mediet inter alios; modo literæ, aut nuncius ad illam pervenerint, & intelligantur; quia secus non haberetur actus consummatus in sua specie, in qua est hic prohibitus. Neque in hoc casu datur parvitas materiæ, etiam si duo. vel tria tantum verba obscœna dicas, agas, scribas, mittas &c., quia ratione qualitatis semper habetur materia gravis: Verricell. & alii, quidquid dixerit Bordon. Cæterum non incurris hunc casum, si cum obscœna intentione loquaris de aliis rebus etiam malis in alia specie, dummodo aliquo signo non ostendas animum obscœnum. In dubio autem mitior interpretatio fieri poterit. Septimo; *Necnon viri, &c.* Incurrunt hunc casum etiam Moniales deferentes literas, vel mandata obscœna ab aliqua persona externa ad personam existentem in Monasterio, modo sciant, vel graviter suspicentur agi de obscœnis. Qui vero sive intra, sive extra Monasterium existens scienter accepit has literas, vel mandatum cum animo deferendi, si tamen non detulit, peccavit quidem, sed non incurrit hunc casum; sicuti neque, qui mandatum, aut literas dedit; quia nondum habetur actus consummatus in sua specie, in qua est vetitus.

VI. *Omnes in causa criminali, aut civili cum gravi damno alterius falsum deponentes, aut deponendum curantes, necnon inducentes ad falsum deponendum, falsisque testibus, depositionibus, instrumentis, scripturis tam publicis, quam privatis, quomodocunque utentes, directe, vel indirecte, in quavis Curia Civitatis, & Diœcesis Neapolitanæ. Item quicumque falsum aliquod impedimentum matrimonii dolose objecerint; necnon consilium, vel auxilium ad illud dolose objiciendum dantes. Falsificantes, etiam cum gravi damno alterius, vel corrumpentes, falso, aut quæ falsum continent, conficientes Apochas, Syngraphas, vulgo Fede di credito, o Polize notate in fede, sive Instrumenta, Processus, aut Scripturas publicas, &*
authen-

authenticas, aut scienter his utentes, necnon mandantes, aut cooperantes.

Similiter præsentantes falsum, fictum, aut fiduciarum Patrimonium, aut quomodolibet fraudulentum pro Ordinibus suscipiendis, etiam pro prima Clericali Tonsura: necnon constituentes, consulentes, aut quomodolibet concurrentes, sive cooperantes. Declaramus autem, quod Clerici præsentantes, quando ab excommunicatione absolvuntur, remanent ab exercitio susceptorum Ordinum suspensi: quam suspensionem nullus, nisi Nos personaliter, constitutoreali Patrimonio, Et causa discussa, relaxare valeat.

Præter hos, Actuarii, Subactuarii, Notarii, Scribae, qui cum alterius Partis offensione, aut cum Reipublicæ, aut legalis justitiæ detrimento, dolose auctam, vel diminutam informationem capiunt, Et sic dicta Testium scribunt, ac Nuncii, Cursori, aut alias nuncupati, qui in grave tertii præjudicium falsum in acta referunt.

Nota primo: Cum gravi damno, &c. Hæc conditio requiritur in omnibus actionibus hic prohibitis, præterquam in secunda, & quarta parte. Damnum autem grave non est, quodcunque sufficit ad mortale, sed quod ascendit ad valorem 50. aureorum ordinarie; & si illatum sit pauperi, sufficit 10. aureorum. Ratio est, quia voluntas Principis semper præsumitur talis, qualis est intentio juris *l. ex facto, de vulg., Et pupill. instit.* & intentio juris pro hac Diocesi Neapolitana est, ut non publicetur excommunicatio, nisi pro 50. aureis ordinarie, & in pauperibus saltem pro 10. Januar. Bauc. Quarti, & alii. Secundo, Deponentes, &c. Depositio fit, Primo, Accusatione: Secundo, Denunciatione, non tamen Evangelica, sed vel Canonica, vel Judiciali: Tertio, Testificatione jurata: Quarto, Probabilius confessione rei. Si reus ad vitanda tormenta falsum crimen confiteatur, quæstio est, an peccet graviter, si sibi soli noceat; si autem alteri noceat, peccat, & incurrit hanc excommunicationem: si reus solum taceat veritatem, quando tenetur fateri, licet peccet, non incurrit excommunicationem, quia non deponit falsum. Idem dicitur, quando utitur æquivocatione. Si mentitur, quando tenetur fateri verum, incurrit excommunicationem pro tanto damno tertii, ubi hoc requiritur; quando vero non tenetur fateri, non incurrit; quia mendacium illud est de se leve, licet sit grave peccatum; excommunicatio enim fertur ob depositionem falsam de se mortalem, Si

Si testis legitime interrogatus dicat, se nescire, quod scit, peccat contra iustitiam legalem, & religionem, non contra iustitiam commutativam, ideoque non incurrit excommunicationem, & damnum tertii non sequitur vi illius mendacii positive, sed negative. Tertio, *Inducentes, &c.* Qui inducit ad deponendum verum à deponente ignoratum, peccat quidem, sed non incurrit excommunicationem. Qui vero inducit ad deponendum falsum, quod à deponente verum putatur, ut assequatur, quod sibi non debetur, peccat, & incurrit excommunicationem. Probabilius etiam peccat, qui inducit ad deponendam aliquam circumstantiam falsam, ut assequatur, quod suum est, & incurrit excommunicationem, quando non requiritur damnum tertii. Quarto, *Scripturis, &c.* Si falsificetur scriptura, quæ tamen vera contineat quoad substantiam, nec alteri damnum injuste inferat, non solum non incurritur casus, quando non requiritur damnum tertii; verum etiam, si scriptura sit privata, puta apocha, &c., probabiliter non excedit veniale; quia non potest dici falsum, quod innititur primordio veritatis, ex *L. cum filius, ff. de Legat. 2.* Si vero scriptura sit publica, communius est mortale, quia maxime interest Reipublicæ, ne fides publica alio modo minuatur, aut in dubium declinet: Dian. p. 3. t. 6. num. 56. cum communi, contra Jul. Clar. Menoch. & alios: idemque est, si eam scripturam ab alio jam confectam producas, quia semper fit contra iustitiam legalem, & bonum Reipublicæ: Dian. p. 9. t. 8. r. 61., Layman. Lug. Jan. r. 59. & alii contra Sa in secunda editione correctum, & Baucium in *Singul. cas. consc. cas. 53.*

VII. *Confessarii omnes, etiam Parochi, ad inhonestam personam quamcunque, sive in actu confessionis, sive ante, vel post immediate, aut prætextu, vel occasione confessionis, etiam confessione non secuta, vel extra confessionem in confessionibus, sollicitantes, aut quomodolibet cum iisdem impudice tractantes. Respectu Regularium vero censuram suspensionis ab audiendis confessionibus, quam ipso facto incurrunt, Nobis tantummodo reservamus.*

Nota primo, *Confessarii.* Non comprehenditur simplex Sacerdos fingens se Confessarium: qui tamen est denunciandus, juxta dicta q. 2. c. 4. Secundo, *In Confessionalibus:* licet non fiat vera, aut simulata confessio, ut constat ex Synodo. Tertio; *Sollicitantes:* in iis fere omnibus casibus, in quibus sunt denunciandi. Quarto, *Aut*
quomo-

quomodolibet; nimirum per quælibet verba, aut signa ad venerem ordinata. Quinto, *Censuram suspensionis*: hoc est non meram negationem approbationis, sed veram censuram, quæ in hoc casu fertur ab Episcopo, tanquam à delegato Pontificis.

VIII. *Pariter Confessarii omnes, etiam Parochi, attentantes prædictas personas, & quascunque alias, cum quibus extra antedictos casus, quomodolibet impudice versati fuerint, à peccatis, quorum ipsi complices sint, nulliter absolvere: qui omnes, etiam Regulares, etiam in Censuram suspensionis ab audiendis confessionibus ipso facto incidunt, Nobis tantummodo reservatam.*

Nota primo, *Nulliter absolvere*. In Synodo tollitur omnis facultas absolvendi à peccatis venereis, quorum Confessarius est complex, qui proinde ab illis nulliter absolvit; quando tamen sunt materia necessaria confessionis, potest vere absolvere ab aliis. Quod si poenitens bona fide confiteatur peccatum venereum, cujus Confessarius est complex, & alia peccata, & Confessarius absolveret, esset quidem valida absolutio, sed Confessarius hanc reservationem incurreret; quia illa absolutio directe in peccatum venereum est nulla. Si Confessarius obtineat generalem facultatem absolvendi à reservatis, non potest absolvere complicem; quia hæc non est reservatio peccati complicitatis, quippe qui potest à quolibet alio absolvi, sed negatio approbationis, seu potius positiva reprobatio Confessarii relate ad illud peccatum. Secundo, *Qui omnes etiam. &c.* Confessarii seculares incurrunt, tum excommunicationem, tum suspensionem ab audiendis confessionibus: Regulares vero solam suspensionem à confessionibus; quia hæc unice potest illis ab Episcopo infligi: incurrunt tamen excommunicationem Papæ reservatam, si prætextu privilegiorum absolvant à casibus Episcopalibus.

* Addendum hic, quod Bened. XIV. in Bulla *Sacramentum poenitentiae* 1741. Omnibus, & singulis Sacerdotibus, tam secularibus, quam regularibus, prohibet, ne aliquis eorum extra mortis articulum, & deficiente tunc quocunque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, confessionem Sacramentalem personæ complicitatis in peccato turpi contra sextum Decalogi præceptum commissio excipere audeat; sublata propterea illi qua-

quacunque jurisdictione ad qualemcunque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, ita ut absolutio, si quam impertierit, nulla sit: quod si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, excommunicationem ipso facto incurrat Papæ reservatam. Declarat insuper, quod nec etiam vi Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ, aut alterius cujuslibet indulti confessionem complicitis quisquam valeat excipere. Cum autem super ea dictæ constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quædam exortæ fuissent, idem Summus Pontifex in alia Constitutione, quæ incipit, *Apostolici muneris* 1745. declarat, singulis Sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in peccato turpi complicem confitentem audire, & absolvere, ita interdici reipsa prædicto modo tunc audire, & absolvere, si adsit alius Sacerdos, qui hoc munus obire possit, licet iste alius sit simplex Sacerdos ad audiendas confessiones non approbatus; quod si alius Sacerdos sine infamia, vel scandalo vocari, aut accedere nequeat, tunc alium Sacerdotem perinde haberi, ac si deficeret; ac proinde non prohiberi socio criminis ab eo quoque peccato absolvere. Quodsi complex hujusmodi Sacerdos prædictæ infamix, aut scandali pericula constringat, ubi non sunt, vel hujusmodi periculum remove neglexerit, cum possit, & sic complicem absolverit, quantumvis hujusmodi absolutio valida futura sit, si pœnitens sit dispositus, nihilominus Sacerdotem ipsum latam in Superiori Constitut. Excommun. majorem Papæ reservatam incurrere. *

IX. *Incestus cum conjunctis in primo, vel secundo gradu consanguinitatis, vel affinitatis. Mulieres autem, si vere sint pœnitentes, à quocunque Confessario à Nobis approbato absolvi possunt, gravi tamen imposta pœnitentia salutari; & dummodo occasio proxima facta sit salutaribus mediis moraliter remota.*

Nota primo: *Incestus.* Quamvis congressus non completus, vel innaturalis cum consanguineis, &c. & congressus cum cognatis cognatione legali, vel spirituali habeat malitiam incestus; hic tamen non reservatur, nisi congressus completus, & naturalis cum consanguineis, vel affinibus in 1. & 2. gradu. Comprehenditur incestus cum affine ex copula illicita. Probabilius non comprehenditur copula cum uxore, cum qua contracta est affinitas; quia non est incestus perfectus, cum non habeat

R. P. Nicol. Mazzotta Theol. Mor. Tom. III. K k ma

malitiam fornicationis. Secundo, *Si vere, &c.* Prima, & tertia conditio requiruntur ad valorem absolutionis: secunda, probabilis non; quia est monitio, ut servetur, quod de jure servandum est, ex Trid.

X. *Qui contra dispositionem Sac. Canon. Clericos, quos noverint, ad Forum seculare traxerint, etiam consentiente reo extra casus hac in re tum in Bul. Cæn. Dom. tum in Mart. V. Const. Ad reprimendos, Summo Pontifici reservatos.*

Nota primo, *Extra casus, &c.* Casus 15. Bul. Cæn. loquitur tantum de Judice laico trahente personas Ecclesiasticas ad suum Tribunal: Casus Martin. V. positus à nobis cap. 1. §. 3. n. 60. loquitur tantum de persona Ecclesiastica trahente aliam personam Ecclesiasticam, collegium, vel conventum, ad forum laicale, & de Judicibus laicis, executoribus, auxiliantibus, consulentibus, & ratihabentibus, postquam constiterit, ad eos non spectare. Hi duo casus sunt Papales; & Clem. VIII. an. 1602. prohibuit, ne Episcopi superflue sibi reservent casus Papales; ideoque Lug. d. 20. num. 151. cum aliis ait, Episcopum invalide eos sibi reservare, quia causa pertinet ad Superiorem non potest judicari apud Inferiorem. Itaque extra hos casus, quivis laicus, seu mas, seu femina, incurrit præsentem casum Archiepiscopalem, si traxerit, &c. Secundo, *Traxerint, &c.* sive per se, sive per alium, cum verbum *trahere* utrumque sensum proprium habeat in hac materia. Hæc tractio fieri potest quadrupliciter, per citationem, per capturam, per mandatum, per alios actus jurisdictionis. In his non prohibetur tractio in causa feudi, in qua licite potest conveniri Clericus coram Judice laico domino feudi, utpote ejus vassallus, ex cap. *Transmissa de For. Comp.* neque in causa reconventionis, quando scilicet Clericus conveniens laicum coram Judice laico, ab eo coram eodem reconvenitur, ex c. 1. & 2. *de Mut. Petit.* quamvis non possit tunc Clericus condemnatus cogi ab eo Judice ad solvendum. Incurritur ergo casus in reliquis causis civilibus, aut criminalibus; nisi vero Clericus citatus non compareat, cum sola citatio per se non fit tractio, ut notant Hugol, Suarez, Bon. & alii. Tertio, *Clericos, &c.* Nomine Clerici veniunt hic etiam Religiosi, & Moniales, eorumque Conversi, & Novitii, quia hi omnes in favorabilibus appellantur Clerici: Doctores

ctores communiter: item Equites Melitenses, & Teutonici, Tertiarii, & Tertiariæ SS. Dominici, & Francisci collegialiter viventes, & Eremitæ obligati voto, aut pacto perpetuo obedientiæ; item Clerici seculares, dummodo gaudeant privilegio fori, quales sunt Clerici in sacris, quousque non degradentur realiter, vel per sententiam Judicis Ecclesiastici eo privilegio denudentur, ex cap. *Cum non ab homine, de Judiciis*, & Clerici in Minoribus, aut in prima Tonsura, dummodo non sint bigami, & habitum cum tonsura deferant, & alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, aut scholæ ex ejus licentia incumbant, ex Trident. *sess. 23. c. 6.* Clerici autem salvatici gaudent privilegio fori in criminalibus, & in civilibus tantum quoad carcerationem, & onera personalia, ex Decr. S. Congr. pro Regn. Neap. Fagnau. Quarto, *Etiam si consentiente reo, &c.* quia Clericus non potest renunciare huic privilegio, utpote juris divini, & proprio status Ecclesiastici. Imo, qui tempore Clericatus commisit delictum, & postea dimisso habitu statum laicalem elegit, non potest pro eo delicto trahi ad forum laicale, ex Synod. Neap. apud Gramm. *decif. 10. n. 3.* & similiter neque Novitius post relictam Religionem, quia inspiciendum est tempus delicti: Bon. ex Bald. contra Nav. Mol. & alios. Contra vero, si post delictum Religionem, vel Clericatum assumpsit; quia præsumitur fraus: Bon. & alii. Denique Clericus, qui dimisso habitu statum laicalem elegit, potest ex se habitum, & statum clericalem reassumere, & sic iterum frui privilegio fori: idemque probabiliter est, etiam si privatus fuerit per sententiam Judicis Ecclesiastici, præcise quod dimiserit habitum; secus vero, si ob aliud delictum: v. Sanch. l. 7. *Matr. d. 46.*

XI. *Homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, Cœmeteriis, aut Sacrificiis, aut publicis Orationibus patrantes.*

Nota: *Patrantes, &c.* Non ergo mandantes, aut consulentes, cum simus in odiosis; Homicidium autem fit etiam per abortum fœtus animati. Mutilatio vero debet esse membri, & non tantum partis membri; neque si membrum tantum debilitetur, aut arefiat, reddaturve inanime, sed non abscindatur; neque si tantum vulneretur, etiam si sanguine effuso pollueretur Ecclesia; dummodo non sit vulnus lethale, ut mox patebit; si enim

vulnus lethale, aut venenum abortus datum fit in Ecclesia, Sacristia, aut Cœmeterio, incurritur hic casus, etiamsi mors postea sequatur extra (non tamen antequam hic effectus sequatur) quia posita est causa per se efficax intra Ecclesiam, &c. & per accidens est, quod moriatur extra: Suarez, Bonac. & alii: idemque est, si ab existente extra Ecclesiam occidatur quis existens in Ecclesia: Doctores cit. Contra vero est, si existens in Ecclesia scilicet v. g. occidat existentem extra Ecclesiam, etsi ille postea moriatur in Ecclesia; quia vere non occidit in Ecclesia, sed ab Ecclesia, ex dictis cap. præced. §. 2. n. 1. Item, si occidas, vel mutiles existentem in Campanili, vel supra tectum Ecclesiæ, vel in Oratorio privato, non incurris hunc casum. Neque demum, si occisio, vel mutilatio facta in Ecclesia non fuerit peccatum lethale.

XII. *Conficientes cujuscunque generis venena in hominum perniciem, eadem scienter dantes, apponentes, vel quomodolibet propinantes, sive ad hoc qualitercunque cooperantes, vel consulentes, etiam non secuto effectu.*

Nota primo: *Conficientes, &c.* Incurrunt hoc ipso, quod conficiunt, seu componunt venenum, etsi deinde non applicent, neque alteri dent applicandum; dummodo conficiant ex prava intentione inferendæ mortis, vel gravis morbi proximo. Si autem conficiant ad experiendam eorum efficaciam in canibus, ad præparandas medicinas, ad temperandos colores, &c. non incurritur: Quarti, & alii communiter. Secundo, *Eadem scienter dantes, &c.* qui scilicet ex prava intentione mortis, vel gravis morbi ea etiam ab aliis in alium finem confecta applicant, vel præbent alteri sumenda, modo secuta sit applicatio, vel sumptio, etsi perniciem non sequatur: cooperantes autem sumptioni, vel applicationi sunt omnes ex ead. prava intentione vendentes, ementes, mandantes, consulentes, auxilium, favorem, pecuniam præstantes, aut venenum potui aut cibo, &c. miscentes, qui omnes incurritur posita applicatione, etiam perniciem non secuta. Si autem hæc sequatur in Clerico, incurritur etiam ex dictis casus Papalis. Hinc, dum Pharmacopolæ vendunt venena, distinguendum; vel enim sunt talia, quæ solum deserviunt ad perniciem, ad procurandum abortum, &c. vendendo scienter, incurritur hunc casum posita applicatione; quia sic sunt cooperatores; vel sunt talia, quæ deservire possunt usui bono, & malo, &

& pariter incurrunt, si vendant personis suspectis: secus vero, si moraliter constet, peti ad usus liticos. Simile est de pharmaco, quod datur ægrotæ prægnanti; si enim per se illud tendat ad abortum fœtus animati incurritur casus: secus, si per se tendat ad medendum ægrotæ, etsi prævideatur, quod forte sequatur abortus, quia id est per accidens, & præter intentionem, & aliunde præstat vitam matris servare, quam mortem utriusque permittere: v. Sanchez l. i. Decal. c. 7. n. 47.

XIII. Cujusvis conditionis personæ, quæ libros in Civitatem, vel Diocesim introducunt, vel scienter introductos tradunt, aut traditos recipiunt, sive etiam de eadem Civitate, & Diocesi extrahunt, priusquam à Deputatis nostris fuerint recogniti. Similiter Bibliopolæ, qui Bibliothecas emunt, non exhibito prius prædictis Deputatis emptorum librorum catalogo: transgressores autem etiam de nostra licentia numquam absolvantur, quoadusque libros sine prædictis requisitis introductos, aut emptos, recognitioni subjecerint. Typographi similiter, & eorum Operarii, qui sine nostra, vel Vicarii nostri licentia libros, aut cujuscunque generis folia imprimunt: præterea Auctores eorum, si typis mandent, vel quicumque mandari faciunt.

Textus est clarus. Nota tamen Primo, Ad incurrendum hunc casum reservatum requiri scientiam in omnibus actionibus prohibitis, præter actionem introducendi libros: Secundo, Non comprehendi in hoc casu libros prohibitos in Bulla Cœnæ: Tertio, Comprehendi eos, qui imprimere, vel imprimi facere præsumunt librum, vel scripturam sine debita licentia, licet incurrant excommunicationem ipso facto latam à Concil. Lateran. quia potest excommunicatio Papalis non reservata reservari ab Episcopo, urgente gravi causa, qualis fuit in casu frenare nimiam licentiam scribendi, & legendi: Quarto, Quod attinet ad introductionem, satis esse ad incurrendam excommunicationem, sive liber in Civitatem, sive in alium locum Diocesis introducatur; at quoad extractionem requiri, ut extrahatur à tota Diocesi. Quinto, Probabilius non esse materiam levem introducere, &c. parvum liberculum, sicuti non esset materia levis illum legere, si esset prohibitus: Sexto, Non excusari introducentes, &c. etiamsi liber sit sanæ doctrinæ; quia non cessat lex, cessante in casu particulari ejus sine, ut dictum est c. ant. §. 1. casu Bul. Cœn.

XIV. *Qui in Paschate non communicantes ab aliis dolose accipiunt schedulas, seu chartulas, quæ eo tempore distribui solent in Metropolitana vel in Pârochiis, ut fidem Pârocho exhibeant de peccata Communionis. Item Illi, qui easdem non communicantibus quomodocunque accommodant in fraudem, aut utcumque cooperantes.*

Nota, *Qui, &c.* Intellige etiam feminas, arg. cap. *Si quis succedente.* Requiritur ad hunc casum tria simul: Primo, Quod non communices in Paschate, hoc est à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, & in hac Diœcesi ad Ascensionem Domini: Secundo, Quod dolose ab aliis accipias schedulam, sive sponte dantibus, sive furto, sive casu inventam: Tertio: Quod eam exhibeas Pârocho in fidem, &c. ita ut, si nondum exhiberis, non incurris. Alii vero, qui eam tibi quomodocunque accommodant in fraudem, incurrunt, secuta dicta exhibitione, quia tunc videtur consummata fraus, & casus in sua specie hic prohibitus.

XV. *Falsarii monetarum, videlicet ii, qui monetas quomodocunque vitiant, nimirum, vel eas diminuendo, vel fundendo, aut imprimendo cum deteriori liga, aut sine legitimo Principis sigillo.*

Nota primo, *Diminuendo.* Non incurrit excommunicationem attondens monetam exuberantem, ita ut remaneat justum pondus; quia non est falsarius monetæ; hæc enim falsa non dicitur, nisi vel in pondere, vel in materia, vel in legitimo sigillo deficiat. Secundo, *Principis.* Etiam extranei; quia vere falsarius est, qui monetas etiam extranei principis vitiat. Qui in ære, vel pondere vitiat monetas Regni Franciæ, incurrit excommunicationem Papæ reservatam, & consequenter incurrit præsentem casum reservatum; licet Fill. dicat, dictam excomm. Papalem fuisse latam ad solum tempus Caroli magni.

XVI. *Sponsi, & Sponsæ post contracta sponsalia, etiam privata inter se, & ante matrimonium legitime celebratum, carnalem inter se copulam habentes; necnon parentes, consanguinei, & affines omnes, aut quicumque domus curam habentes, eandem carnalem copulam, vel Sponsorum cohabitationem, vel pernoctationem, etiam pro una vice, permittentes.*

Nota

Nota primo, *Copulam*. Intellige perfectam: idem dic de permittentibus eandem copulam. Copula sodomitica probabilius non comprehenditur, cum in jure nomine copulæ veniat copula naturalis. Secundo, *Cohabitationem*, quæ scilicet apta fit ad acquirendum domicilium, vel quasi domicilium; quod intellige, si facilis sit ad invicem accessus; secus vero, si altera ad alterum accedere nequeat. Hinc permittentes commorationem sponforum in eadem domo per paucos dies, dummodo copula non sequatur, non incurrunt excommunicationem: si vero eam permittant per tempus aptum ad domicilium acquirendum, incurrunt, etiam non secuta copula; quia permissio cohabitationis principaliter prohibetur. Tertio, *Pernottationem*, hoc est moram in eadem domo per totam, vel fere totam noctem: Quarto, *Permittentes*. Incurrunt hanc permittentes, qui scilicet non impediunt, cum possint, licet pro una vice, & licet non sequatur copula.

§. II.

De Casibus reservatis in Diœcesi Neapolitana, quibus non est adnexa Excommunicatio.

I. *Blasphemantes Deum, vel B. Virginem ex perversa consuetudine coram pluribus supra quatuor.*

Nota: *Blasphemantes: &c.* Tria requiruntur ad hunc casum: Primo, Quod blasphemia sit in Deum, vel B. Virginem: Secundo, Quod sit ex perversa consuetudine: Tertio, Quod sit coram pluribus supra quatuor. Hinc primo, Non incurrit, qui blasphemat alios Sanctos, vel falsum Deum, puta Bacchum; incurrit vero, qui blasphemat Christum, vel ejus membra, Corpus, Sanguinem, &c. vel si dicat, *A dispetto di Dio*, vel dicat, Deum non esse justum, dæmonem esse fideliorum Deo, &c. Secundo, Non incurrit, qui bis, vel ter blasphemavit Deum, vel B. V. quia nondum ex perversa consuetudine, quæ secundum Homob. Avers. & alios, non dicitur acquisita, nisi post quinque saltem actus intra paucos dies; ideoque neque incurrit, qui raro blasphemavit, etsi plus, quam quinquies, quia raritas non induxit consuetudinem; neque, qui continenti sermonis, iræ, aut ludi serie blasphemavit etiam plusquam quinquies; quia veluti unico impetu, & ante contractam consuetudinem, ut supponitur: Graff. Bauc. Quart. & alii: si post consuetudinem in ultima confessione retractatam quis semel, aut bis blasphemet,